



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

23 Tertiarij sancti Francisci simul viuentes, veri religiosi sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

re autem nolentes, sine clausura viuere possunt; Ab ordinarijs tamen si scandaloſe viuunt, puniri debet, nec ulterius multiplicari, aut recipi queunt, ita Decernente Bulla Pij V. circa pastoralis. edita 1566. conf. 8.

## DECISIO XXI.

Ex conf. 17. alias 16.

**C**um nemo ad castitatem uouendam, aut ad crescendum in perfectione cogi possit, c. integritas 32. q. 1. c. gestos. d. 74. & gl. ibi in verb. crescere. nec prælati uolunt inferior, aut superior, quam uis Papa fit, uel religionis ad aliam regulam strictiorem, uel laxiorem cogere potest; unde neque fratres Minores Conuenticales (quorum regulam Pius V. in Hispania extinxit) ad profitendam regulam Fratrum Minorum obseruantie, compelli poterunt, quandoquidem horum regula longe durior, & diuersa fit, quam Conuenticaliu regula: Quia hi sancti Francisci regulam Priuilegijs Apostolicis temperatam; illi uero eam nullo tali temperamento laxatam, profitentur.

## DECISIO XXII.

Ex conf. 18. alias 19.

**P**rofectio religionis non approbata, aut ab eo admiffa, & accepta qui profitemem, alicui regule approbatae obligare non potest, nulla, & inuolida censenda est, sic tamen professus tria uota castitatis, paupertatis, & obedientie, tanquam uota simplicia, & non solemnia ubique fuerit, seruare tenetur.

## DECISIO XXIII.

Ex conf. 19. alias 54.

**T**ertiarj S. Francisci licet extra congregationem uiuentes religiosi non sint, ex Gl. in clem. 2. cum ex eo, de sent. excomm. intra eam tamen uiuentes uere religiosi sunt, & tria uota essentialia uouent, nec ad aliam religionem etiam mendicantium, aut sancti benedicti nisi petita licentia, transire possunt, petita uero licentia, & non obtenta, transire ualent. Arg. cap. licet, de Regula. Iusta uero causa transiendi ad aliam religionem etiam æqualem, uel laxiorem est, quod regula illa Tertiariorum non sit perpetua, sed finienda, & consumenda, eo quod per noue recipiendos restituti nequeat. Arg. cap. 5. adhuc, de relig. dom. in 6.

## DECISIO XXIV.

Ex conf. 20. alias 14. de statu monach.

**R**egularis quamuis sine prælati licentia nihil habere, possidere, dare, uel accipere possit, c. non dicatis, 5. r. quest. 1. neque de licentia tanquam rem propriam, cuius dominum, & possessionem suo nomine habeat, cap. fin. de statu monach. de illius tamen licentia bona mobilia, uel immobilia monasterij tanquam peculium suis uisibus, & necessitatibus deputatum, ad uilitatem monasterij cuius bona sunt, ex iusta causa, non obstante Concilij Tridentini decreto, in sess. 25. c. 2. de reg. quod nihil noui iuris inducit, sed tantum ius antiquum declarat, & de concessione sine iusta causa loquitur, habere potest, d. c. non dicatis, & c. 2. & fin. de statu monach.

## DECISIO XXV.

**C**um monachus ad suum prælatum ita se habeat, ut seruus ad Dominum suum, ex Innoc. in c. cum olim de priuileg. Pan. in c. edoceri, de refer. & in c. cum ad monasterium, de stat. monach. & conf. 80. vol. 2. ita ut illi resisteri non possit, cum neque uelle, neque nolle habeat, sed totus dependet a superioris arbitrio, & uoluntate, c. non dicatis, 12. q. 1. c. si religiosus de ele. 6. & c. 2. de testam. in 6. & cap. Nolo 12. q. 1. potest prælati, regularis pro uoluntate sua, sine ulla causa iusta beneficium regulare, & alias

quascunque concessiones monacho suo factas reuocare. cap. porrectum cap. ad audientiam, de confir. uul. & d. c. cum ad monasterium, 8. rales, & cle. 1. pen. de sup. priuileg. adeo ut inferior, etiam de spolio, contra prælatum spoliatum, modo id bono animo faceret agere non possit.

## DECISIO XXVI.

Ex conf. 21. alias 12.

**C**um milites sancti Ioannis Hierosolymitani tria uota substantialia castitatis, paupertatis, & obedientie in manibus superioris sub regula a sede Apostolica approbata emittant, uere & proprie religiosi, & regulares censeri debent, & proinde sub Concilij Tridentini, sess. 6. c. 3. de reform. dispositione, statuentis neminem clericum secularem, uel regularem degentem extra monasterium, etiam sui ordinis priuilegij prætextu, tutum censeri, quominus, si deliquerit, ab ordinario loci, tanquam sedis Apostolicæ delegato, puniri & corrigi ualeat, comprehenduntur, etiam si priuilegia aliqua in contrarium habeant, quibus per clausulam generale Concilij per uiam legis positam derogari censetur. Arg. cle. dudum, 8. fin. de sep. & Fel. in cap. accedentes, num. 4. de priuileg.

## DECISIO XXVII.

Ex conf. 22. alias 25.

**L**icet annus probationis in utriusque partis, id est, Natiuitatis, & religionis fauorem status sit, & utraq; pars illi fauori, ut cuiuslibet alij iuri suum fauorem concernenti, renunciare potest: cap. quod ob gratiam, de reg. iur. in 6. & l. quod fauore. C. de legib. adeo ut consuetudo generalis ante Concilium Trid. habeat, ut professio ante finem anni probationis facta de consensu partium ualeat extra religionem quatuor mendicantium, c. non solum, & c. conf. de reg. in 6. eo quod ante illud, probationis annus principalis in fauorem priuatum, quæ publicum introductus uidebatur; professio tamen contra legem prohibentem ne ante certam ætatem fiat, emissa, ut ante decimum sextum annum per Concilium Tridentinum, sess. 25. c. 15. de regul. aut ante decimum octauum annum in Monasterijs, in quibus prohibetur illa fieri ante illum, & etiã ante Tridentinum in ordine mendicantium ante finem anni nouitatus facta, non ualeat, ex Hoff. & Pan. in c. quia infulis, de regul. eo quod lex profiteri ante illam ætatem uetans, uilitatem publicam, potius quam priuam partem respicere uideatur, cui partes stare tenentur, adeo ut actus contra legem sic prohibentem illum fieri factus non ualeat. l. non dubiam. C. de legib.

## DECISIO XXVIII.

Ex conf. 33. alias 10.

**C**um religio seu milita sancti Stephani post Concilium Tridentinum sub regula S. Benedicti erecta & a Pio IV. confirmata sit, consequenter professi eiusdem ordinis uere religiosi censenda sunt, & castitatem coniugalem, & paupertatem, quamuis non omnimodam, illam tamen quæ regula eorum requirit, sita scilicet ut liberam restituti facultatem non habeant, sed limitatam, relinquendo quintam partem ordinis) & obedientiam uouent: unde & beneficia tantum regularibus professis provideri solita, obtinere possunt, ut asserit Concilium Trid. sess. 14. c. 10. de reform. & sess. 25. c. 21. de reg. Et quamuis iure communi, castitas coniugalis, & talis paupertas ad solemnem religionis uotum constituendum sufficere non uidentur, c. cum ad monasterium, de statu monach. & S. Th. 2. 2. q. 156. art. 4. 6. & 7. Quia tamen uoti solemnitas iuris humani est; ex priuilegio & dispensatione Papæ, minus, uel aucteratiōabili causa subsistente poterit, ita ut uerè & proprie religio, cum castitate coniugali, & testandi facultate consistat, ut sentit. Innoc. & gl. in d. c. ad monasterium, Caiet. 2. 2. q. 88. art. 11. & Nau. in Man. cap. 12. num. 85.

DE